



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Pallij usum ei permisit. Itaque Symmachus, tum propter veterem consuetudinem, tum etiam contemplatione meritorum Cæsarij, ei vices suas commisit per Gallias, id est, Metropolitanum eum Galliarum, in cujus dignitatis possessione jam antea fuerat Cæsarius, esse constituit, simulque Pallium, quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, illi concessit.

XIII. Eximiam illam Metropolitanam Galliarum dignitatem in Cæsario agnovit etiam Hormilda Pontifex Romanus, qui proximè Symmacho successit. Statim enim ac in sede Petri locatus est, literas de ordinatione sua, ut moris erat inter Episcopos illusterrimarum Ecclesiarum, misit ad Cæsarium, quarum hoc initium est in veteri codice MS. Bibliothecæ regie: *Dilectissimo fratri Cæsario Hormilda. Quamvis ratio exigat ut fraternitati tuæ nostri sacerdotij primitias nuntiemus, tamen Dei beneficia tacere.* Cetera non extant. Idem ad eum scripsit anno DXXV.

Hormilda. epist. 30

Episcopos Dardanos, Illyrios, & Scythas ad sedis apostolicæ communionem rediisse, Eutychniana hæresi damnata. Scythas in hoc loco memoravi cum Dardanis & Illyriis, tamen etsi sciam eorum mentionem non extare in vulgatis epistolarum Hormildæ editionibus, ut monerem nomen eorum reperiri in epistolæ istius exemplari quod habetur descriptum in veteri codice MS. Bibliothecæ regie. *Ergo Episcopi tam Dardani quam Illyrii penè omnes, neque Scythæ, errorem condemnando præteritum, petentes beati Petri Apostolorum principis communionem &c. Rectè.* Nam aliæ editiones sunt absurdæ, in quibus sic legitur: *Ergo Episcopi tam Dardani quam Illyrici penè omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes &c.* Lectionem regij codicis confirmat etiam ipse Hormilda in epistola ad Avitum Episcopum Viennensem de statu Ecclesiæ orientalis: in qua licet de Scythis non loquatur, tamen cum Thracibus adjungit Dardanis & Illyricis, ostendit deesse heic aliquid in epistola ad Cæsarium de eodem argumento. Sic ergo scripsit ad Avitum

Hormilda. epist. 10.

Hormilda. Nam unde est quod cum pro magna parte à contemnis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul postros ignorantie spe, fraudibus, & variis artibus nitantur allidere. Scythæ porro contemni erant Thracibus, utrique autem siti in ora Ponti Euxini.

XIV. Præfedit postea Cæsarius in Concilio Arelatensi IV. anno DXXIV. Carpentoratensi anno DXXVI. & Arausicano II. anno DXXIX. Nam tres illæ synodi non fuerunt tantum ex Episcopis provinciæ Arelatensis, sed generales ex regno Gotthorum.

Causam quoque Contumeliosi Episcopi Reiensis judicatam fuisse in synodo generali, cui Cæsarius præfuit, colligitur ex epistolis Ioannis II. & Agapeti Pontificum Romanorum. De quo negotio, cum satis explicatum sit in epistolis illis, nihil dicam. Illud tantum admonere corruptam esse ultimam partem septimæ Agapeti epistolæ, quæ data est ad Cæsarium, ideò que putasse me non prætermittendam esse hanc occasionem illius emendandæ. Nam cum dixisset Agapetus velle se ut Contumeliosus, *reddita sibi modo propria substantia*, suspensus interim esset ab administratione patrimonij ecclesiastici & à celebratione Missarum, inferius tamen ei suspensio ac præsumptori concedit celebrationem Missarum, si vera est lectio quæ extat in vulgatis editionibus. Vnde sequitur Agapetum libimè repugnare in eadem epistola. Ergo ut vitium illud auferatur, sic legendus est hic locus ex fide vetustissimi codicis MS. Bibliothecæ regie: *Suspensio igitur, sicut præfati sumus, Episcopo Contumelioso ab ea tantum quam præsumpsisse dicitur celebratione Missarum, & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituto, ita ut alimonia sufficiens Episcopo non negentur, Visitatoris se in ejus loco præcipimus ordinare personam, & patienter expectare iudices quos inspirante Domino constituerimus audire.* Agebatur de retractanda causa Contumeliosi, qui sedem apostolicam appellaverat post iudicium Episcoporum Gallicanorum. Expectare itaque Cæsarium jubet quid decreturi sint iudices à se delegandi, interim verò Contumeliosum manere suspensum à celebratione Missarum & ab administratione patrimonij ecclesiastici, ita tamen ut ei alimenta episcopali dignitati congrua præbeantur. Nam si apud T. Livium P. Scipio Nasica rectè monuit erubescendum esse Romanæ urbi, si vir clarissimus (nimirum L. Scipio) in carcerem inter fures nocturnos & latrones includeretur, indecorum quoque esset si Episcopo, tamenetsi reo, non ampliora alimenta subministrarentur quam reis ceterorum ordinum.

CAPVT XXXVI.

Synopsis.

I. *Vigilius Papa, primus omnium Pontificum Romanorum concessit vices suas Auxanio Episcopo Arelatensi conceptis verbis.*

II. *Cum civitas Arelatensis transiit in manus Regis Childiberti, iste Vigilium oravit uti Auxanio vices apostolicæ sedis & Pallium delegaret. Pallium erat genus imperatorij indumenti, ideòque requirendum fuit consensus Iustiniani.*

& Imperij Lib. V. Cap. XXXVI. III

III. Vices postea suas commisit Auxanio postquam consensum Imperatoris habuit.

IV. Explicatur epistola Vigilij, qua difficultate non caret. Pallium erat vestis eximia atque collucens, & qua plurimum habebat dignitatis. Probatur ex Thegano & Ioanne VII. & XII.

V. Vigilij Auxanio vices suas & Pallium concessit ad exemplum Pape Symmachi. Tum vero nulla mentio consensus Imperatoris.

VI. Causas à Vicario suo iudicari iubet cum competentis numero Episcoporum. Sed iudicium electionem relinquit arbitrio Auxanij. Causas autem discutit iuxta canonica & apostolica aequitate.

VII. Causas religionis, & eas præterea que in provinciis deserviri non possent, referri iubet ad sedem apostolicam. Vetus ordo discutenda hæreses noviter emergentis.

VIII. Renovat deinde privilegium de literis formati ab Arelatensi Episcopo accipiendis.

IX. Securus postremo exemplum superiorum Pontificum, vicariatus istius publicationem mandavit. Episcopi Gallicani suæ erant imperio Episcoporum Arelatensium.

X. Vigilij Auxanio specialiter commisit causam Prætextati. Notatur Baronius, qui Prætextatum hunc putat fuisse Episcopum Rothomagensis.

I. MANIFESTIS, ut reor, indicij hæcenus ostendimus Episcopos Arelatenses primum inter Gallicanos Episcopos locum tenuisse in consequentiam honoris qui Ecclesie Arelatensi tributus fuerat à sede apostolica. Sed nunc res ipsa se proderit evidentissimis argumentis, adeo ut argumentationibus agendum nobis nequaquam sit. Nam post Cæsarium eadem auctoritas, qua ille instructus fuerat, successoribus eius confirmata est à Pontificibus Romanis: qui prædecessorum suorum mandata verbis suis explicantes, vices suas conceptis verbis commiserunt Episcopis Arelatensibus, dum ipsos ea auctoritate instruerent in cuius possessione fuerant sedis illius Episcopi ante Vigilij tempora. Is primus omnium vices suas, vices inquam suas, ad postulationem Childeberti Francorum Regis commisit Auxanio Episcopo Arelatensi, qui Cæsario successerat. Quam causam, quia multa continet non leviter prætereunda, res postulare videtur ut ab initio repetamus.

II. Post pulsos ea Gallie parte Romanos quæ Rhodano & mari mediterraneo adiacet, primum Wisigothi eam oram infederunt, & Arelatense oppidum tenuerunt, quod deinde transit in jus & dominium Ostrogothorum. Anno demum DXXXVI. cum exarsisset bellum inter Iustinianum Augustum & Vitigem Ostrogothorum Regem, eodemque iste tempore bellum crudele & exitiosum in Gallia haberet cum Francis, pacem his conditionibus ab istis redemit, ut contenti essent viginti auri centenariis & ea Galliarum parte quæ Gothis

parebat; in qua sita erat civitas Arelatensis, quæ in divisione harum provinciarum cessit Regi Childeberto, ut rectè ista explicat Hadrianus Valesius vir clarissimus. Mortuo interim non ita multo post Cæsario Arelatensi Episcopo successit Auxanius. Hunc ergo ornare cupiens Childebertus aliquo insigni decore, ut ope ejus provinciam recenter ad Francos versam in officio contineret imperioque Francico parere assuefaceret, literas ad Papam Vigilij scripsit anno D XL V. quibus eum orabat uti Auxanio vices apostolicæ sedis delegaret per Gallias, eique Pallium mitteret; quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, uti jam dictum est. Non repugnavit Vigilij. Sed quia Pallium erat genus quoddam imperatorij indumentum, cujus usum Imperatores permiserant Patriarchis, noluit Pontifex in hoc gratificari Auxanio, donec sciret an Iustinianus id gratum habiturus esset. Docet nos illud ipse Vigilij his verbis: *De his vero que caritas vestra tam de usu Pallij quam de aliis sibi à nobis petit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsentem facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filij nostri Imperatoris hoc, sicut ratio postulat, voluissimus perficere notitia Deo auctore; ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum que postulatis, cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei eius servasse cum competenti reverentia iudicemus.*

III. Non dubitabat, ut video, Vigilij quin Imperator, quem per Patricium Belisarium ad id induci procuraverat, consensum suum præstiturus esset. Neque sua spes illum fefellit; ut docet secunda ipsius epistola ad Auxaniam, qua illi committit vices suas per Gallias, simulque Pallium mittit. *Sicut nos, inquit, pro tue caritatis affectu, & pro gloriosissimi filij nostri Regis Childeberti Christiana devotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam convenit Deo placitis operibus tanta sedis auctoritate digna conversatione uti atque disponere, ut bonis actibus innotescens, rectum circa caritatem tuam iudicium nostre electionis ostendas.* Et infra ait se id facere cum consensu Iustiniani & Theodoræ, tanquam Vicariatus apostolicæ sedis ita penderet ab imperio Principum ut Pontificibus eum nemini tribuere liceret absque interrogatione Principis. Nam ea quæ sequuntur intelligi non possunt de Pallio, de quo nondum in ea epistola locutus erat Vigilij cum ista scriberet. *Oportet ergo, inquit, fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut Dominos filios nostros clementissimos Principes Iustinianum atque Theodoram sua sem-*

Hadr. Vales. Lib. 5. Rer. Francic. pag. 407. & seqq.

Vide infra lib. 6. cap. 6. §. 6. 10.

Vigil. epist. 1. ad Auxan.

per protectione custodiat, qui pro his vestra caritati mandandis, suggerente gloriosissimo & excellentissimo viro filio nostro Patricio Belisario, pro quo item vos convenit exorare, pia prebuerunt devotione consensum.

IV. Ista tamen ita puto intelligenda, ut quia vicariatus absque Pallio tribui non consueverat, istudque, quod genus esset imperialis indumenti, concedi non poterat absque consensu Imperatoris, noluerit Vigilus antè committere Auxanio vices suas quam certus esset consensus Imperatoris pro dando Pallio; ne fortè Auxanio tributa dignitas in contemptum veniret, si non fulgore Pallij colluceret atque illustraretur. Nam Pallium fuisse vestem quandam eximiam, atque collucentem, & quæ plurimum dignitatis haberet, dicit infra illustrissimus Archiepiscopus. Quem fulgorem diu perdurasse in Pallio colligi posse videtur ex Thegano Chorepiscopo Trevirensi: qui loquens de infanda Ludovici Pij Imperatoris exauctoratione ab Ebbone Remensi Archiepiscopo peracta, adversus quem propter hoc facinus vehementissime insurgit, hæc dicit: *Vestivisti te purpura & Pallio, & tu eum induisti cilicio.* Item ex epistola Ioannis VIII. ad Karlomanum Regem Bajoriæ, Ludovici Regis Germaniæ filium:

Thegan. cap. 44. de regis Ludov. Pj.

Apud Aud. Duchesa. to. 3. Scrip. tor. hist. Franc. pag. 880.

Apud Eckermum lib. 5. hist. 2. cur. pag. 128.

Pallium verò, vestra petitione inclinati, Theodemaro Archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes, optamus ut hoc decore interius fulgeat in oculis interni iudicis quo nitet exterius humanis oculis. Colligitur id ipsum ex epistola Ioannis XII. ad Dunstanum Archiepiscopum Dorobernensem scripta anno DCCCCLIV. in qua sic habetur: Pallium verò fraternitati tue ex more ad Missarum solemnias celebranda commendamus; quod tibi non aliter, Ecclesie tue privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus quam usum antecessores nostri prodiderunt. Neque tua prudentia hoc incognitum habet vel cuiusquam, quoniam indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus auctore Deo possis esse conspicuus.

Vide supra cap. 51. §. 11.

V. Concessit igitur Auxanio Vigilus Pallium & vices suas, ad exemplum nimirum Papæ Symmachii, qui tamen Cæsario Pallium contulerat absque ulla mentione consensus Imperatoris. Hæc sunt Vigilij verba ad Auxanium: *Et quia digna credimus ratione compleri ut agenti vices nostras Pallij non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut decessori tuo predecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri sancti auctoritate concedimus.* Observandum est autem in hoc loco, Vigilium, qui rescripserat nolle se postulatis Auxanij annuere antè quam sibi constaret de consensu Imperatoris, nunc Pal-

lium tribuere absque ulla mentione nominis imperatorij, immo dicere se id facere ex auctoritate beati Petri, tanquam facultas concedendi Pallium existeret in eo qui Petri cathedram teneret, quicumque tandem is foret. Sed his omiſſis, tranſeamus ad mandata quæ idem Pontifex dedit Auxanio.

VI. Iubet igitur Vigilus ut si quæ inter Episcopos qui sub regno vel potestate Chil deberti Regis constituti erant diffensiones emergerent, ex ab Auxanio committit Vigilus ut apostolica æquitate discuterentur cum competenti numero Episcoporum, ita ut iudicium quod eo ordine ferretur, vetustis Pontificum Romanorum regulis non repugnaret. Itaque sic vices suas Auxanio committit Vigilus ut nihil illi soli licere velit in iudiciis Episcoporum, omninoque imperat ut ea non aliter iudicentur quam adhibito competenti provincialium Episcoporum numero. Sed istorum interim iudicium electionem, ut erga Rufum Thessalonicensem fecerat Bonifacius, relinquit arbitrio sui Vicarij, ut integer ordo iudiciorum & summa decernendi auctoritas penes illum essent. Statuit deinde ut causæ illæ canonica & apostolica æquitate discutiantur ab Auxanio, tanquam dicere vellet irritum futurum iudicium quod non ex æquitate Petri latum esset. Nam & eum vult sequi formam iudiciorum in regulis ac decretis superiorum Pontificum contentam. *Ea modis omnibus prelati iudicio finituri, inquit, quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis convenire.*

VII. Transit statim Vigilus ad causas fidei & ad reliquas majores causas, quarum relationem mitti jubet ad sedem apostolicam, si illæ pro sui magnitudine terminari non poterint in Concilio provinciali. Afferam autem locum integrum; tum ut lector facilius intelligat hanc partem mandatorum Vigilij, & ut locus iste, qui sanus non est in editionibus, per occasionem emendetur. Sic ergo legitur in toties laudato codice regio: *Si qua verò certamina aut de religione (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, ea apostolicæ sedi terminanda servate; ut universis à fraternitate vestra competenti ratione dispositis, pax, quæ pro magno munere Apostolis dominica voce conlata est, Ecclesie Dei, quæ una est in toto orbe diffusa, stabili firmitate servetur, ne antiqui hostis possit quassatione vexari, in illius petra Christi Dei Domini & Salvatoris nostri electione firmata stabilitate consistens.* Vult itaque Vigilus ut emergens in provincia hæresis, in Episcoporum provincialium examen veniat secundum

cundum morem antiquum. At si in examine provinciali causa illa non potuerit terminari, tum vero relationem ab Arelatensi antistite mitti ad sedem apostolicam, ut istius sedis auctoritate pax in Ecclesia retineretur, adeoque concordia revocaretur inter eos qui de religione contendebant.

VIII. Renovat deinde Vigilium privilegium quod à Zozimo Papa profectum, longa possessione firmatum, à Symmacho etiam confirmatum fuerat in gratiam Cæsarij. *Nolus ergo, inquit, de Pontificibus tue per has vices ordinationi commissis, sicut & ad eos data loquatur nostra præceptio, in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solenni more, sicut à decessore tuo nostro prædecessore similiter concedente consueverant, formatam vestre caritatis acceperint.* In epistola autem generali scripta ad Episcopos in regno Childeberti constitutos, cujus mentionem in ista fecisse eum vidimus, sic loquitur de necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi: *Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine prædicti fratris & coepiscopi nostri formata ad longinquiora loca audeat proficisci: quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus ejus, quibus vices suas libentissimè contulerunt, sancte sic definiunt iustiones.* Respicit itaque Vigilium ad rescripta Zozimi & Symmachi; qui, uti dicebamus, eam necessitatem jam antea imposuerant Episcopis Gallicanis

IX. Videbat Vigilium necessariam esse litterarum istarum publicationem ut sua Arelatensi antistiti dignitas & auctoritas constaret. Itaque prædecessorum suorum exemplis instructus, qui de vicariatu Episcoporum Thessalonicensium ob eam ipsam causam rescripserant ad Episcopos Illyricianos, tum etiam Zozimi, qui de vicariatu Patrocli scripserat ad Episcopos per Gallias & Septem provincias constitutos, putavit scribendum esse ad Episcopos Gallicanos de vicariatu Auxanij, ut eorum consensu iste facilius uti posset ampla illa auctoritate quam ei tribuebant literæ Vigilij ad ipsum datæ. *Que cuncta, inquit, ut fraternitas vestra melius per Dei gratiam possit implere, universis Episcopis, quibus te præesse volumus, auctoritatis nostra est serie declaratum.* Extat auctoritas illa seu literæ Vigilij ad Episcopos regni Childeberti. De his autem agemus in capite sequenti. Interim heic adnotandum est necessariam tum futuram non fuisse eam præceptionem quoad Episcopos Gallicanos, si nulli alij Episcopi subiecti fuissent auctoritati Episcopi Arelatensis quam qui jam inde à temporibus Zozimi & Symmachi ad ordinationem & synodum ejusdem Episcopi pertinebant. Illi quippe fuere erant imperio Arelatensis Episcopi, neque admo-

nitioe ulla indigebant ut ejus iussa spectarent. Dispar ratio fuit eorum Episcoporum qui tum recenter subiciebantur Ecclesie Arelatensis antistiti, ut statim dicemus.

X. Eodem porrò tempore quo generalem istam delegationem Auxanio concessit Vigilium, ei specialiter commisit causam Ioannis Presbyteri & Teredij Diaconi adversus Prætextatum. Eam causam jubet ut Auxanium cum competenti Episcoporum provincialium numero dijudicet secundum decreta præteritorum sedis apostolica Pontificum; *ratione prospiciens, inquit, ne aliquem facile ex laicis ad saceratos ordines saltu præcipiti cuiquam sacerdotum liceat aggregare.* Vnde colligi debere puto vel istum Prætextatum repente ex laico promotum esse ad ordines ecclesiasticos, non præmissa annua conversione, vel, si is Episcopus fuit, aliquem laicum præcipitanter contra canones admisisse ad clericatum. Istud verò emendari petebant Ioannes & Teredius. Omnino autem persuasum habeo errare illustrissimum Cardinalem Baronium, qui de Prætextato Rotomagensi Episcopo heic agi putat. Nam iste nondum, ut puto, erat Episcopus quum Vigilium ista scribebat. Certè nondum pulsatus erat de ullo crimine; quippe qui nonnisi post annos triginta quatuor majestatis accusatus est à Rege Chilperico; ut pluribus narrat Gregorius Turonensis lib. v. cap. xix.

CAPVT XXXVII.

Synopsis.

I. Explicanda est in hoc capite epistola generalis Vigilij de vicariatu Auxanij.

II. Vicariatus ille tribuitur Auxanio per provincias qua pertinebant ad regnum Childeberti. Enumerantur provincia illa. Fieri id potuit ad exemplum auctoritatis Episcopi prima Justiniana.

III. Aut Vigilium sibi in beato Petro commissam esse curam universarum Ecclesiarum. Sumptum id ex sancto Leone. Hac persuasio alius deinde penetravit in animos Pontificum Romanorum. Hinc descendit necessitas constituendorum per provincias Vicariorum.

IV. Emendatur & explicatur Vigilij locus quo insinuat necessitatem constituendi Vicarij. Qua emendatio confirmatur auctoritate ejusdem Vigilij.

V. Sic vices suas Auxanio committit ut nihil illi soli licere velit in iudicij causarum. Causas autem majores referri jubet ad sedem apostolicam.

VI. Initur comparatio inter Episcopum Thessalonicensem & Arelatensem. Inbet Vigilium uti Episcopi ab Auxanio evocati ad Concilium accedant, nisi iustam ob causam abesse cogantur. Personam tamen pro se mittere debent.

VII. De formatis accipiendis ab Episcopo Arelatensi. Errant qui putant Aurelianum non statim successisse Leontio in cathedra Arelatensi.